

Q.K.12,37.



COMMENTATIO  
DE  
**CONSULE GLORIOSO**  
EX  
ANTIQUITATE S. ET PATRIA ERVTO

**VIRO**  
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO CON-  
SVLTISSIMO DOCTISSIMO  
**DOMINO**  
**IOANNI FRIDERICO**  
**WAGNERO**

CONSULI SANGERHVSANO PRIMARIO  
ET GRAVISSIMO

RELIQVA  
NATALEM DIEM LXXI.

A.D. XV. IVN. A.O. R. CCCCCCLXVIII.

FELICITER AGENTI

DICATA  
AVCTORE

**IOANNE CHRISTIANO KOERNERO**

A. M. ET AD TEMPL. S. VLRICI  
SANGERH. PASTORE

ISLEBIAE

Prelo Io. Philippi Hüllmanni, Typogr. Confit.

quadam de Consulibus quibusdam sangerhusani  
laude dignis.

CONVENTUS  
CONFABULATIO  
STUDIIS ET LITERATURO  
VIRG  
TRADITIONIS AMICITIA CON  
SALUTISIMO DOCTRINA  
DOMINO  
OMNIBUS



Vir Praenobilissime, Amplissime, Consultissime,  
Doctissime, Patronē aetatem  
Deuenerande,



*S*i animo Consulem esse oportet, consilio, fide,  
grauitate, vigilantia, cura, toto denique mu-  
nere Consulatus, oratorum Romanorum prin-  
cipe Cicerone iudice; *tibi* profecto haec  
summa nominis gloria iure meritoque decernitur. Hinc si  
quid esset in me ingenii, id omne in concelebrandis *Tuis*  
meritis, depraedicandisque benevolentiae et liberalitatis do-  
cumentis collocarem. Neque enim vereor, ne assentationis  
incurrerem vitium, nisi forsitan hanc mihi maculam adsperser-  
int mordaces turgidique criminatores. Loquantur vero pu-  
blica *Tuae* pietatis, iustitiae, grauitatis, prudentiae, atque dexte-  
ritatis monumenta et in rem publicam immortalia merita.  
Quotusquisque enim est iustus rerum ac stimulator, candidusque  
veritatis amator, quin *Tua* delectetur insigni comitate, *Tuo*  
candore, *Tua* in foro prouida cura ac sapiente circumspicien-  
tia, *Tua* denique in consiliis edendis admirabili promptitudi-  
ne, et in explendis consululis partibus inusitato studio? Laera-  
tur et ouat uniuersa ciuitas, quoties cunque *Te* fasces regimi-  
nis suscipere intelligit, et Nestoreos Tibi vouch annos, rectissime  
augurans, donec optime consultum iri saluti nostra pu-  
blicae, dum sub *Tuo* delitescere consulatu dabitur. Habet et  
iam ecclesia et schola, quae *Tuo* nunquam non gloriorientur gra-  
uissimo patrocinio. Quemadmodum enim pro *Tua* sapien-  
tia

\*\*\*

tia probe cognitum perspectumque habes, florente ecclesia,  
vigentibusque scholis, florere ciuitatem; sic omne studium,  
omnem curam, omnemque operam in conseruandis ornati-  
disque templis, scholisque subleuandis, pariter ac in alendis  
defendendisque utriusque coetus doctoribus sedulo collocas.  
Non minori curæ *Tibi* sunt reliqua urbis nostræ pia instituta,  
quibus et pupilli educantur, et paupera languidaque senectus  
sustentatur. Et ut paucis omnia complectar, nihil prorsus  
est, quod vel ad puriora sacra tuenda, vel ad utilitatem publi-  
cam promouendam, vel ad ciuium emolumenta spectat, quo-  
rum omnium ac singulorum non indefessam curam maximam-  
que sollicitationem semper ageres. Praeterea in comitiis  
prouincialibus Dresdensibus solus multoties et tam egregie  
ac insigniter ciuitatis nostræ consuliisti rationibus, ut exqui-  
sitiones amplissimasque plane laudes supereret, et in ingen-  
rem dudum admirationem uniuersam rapuerit populi coro-  
nam. O quantum ergo beneficium, quanta felicitas, quanta  
summi Numinis in ciuitatem nostram benignitas, quæ *Te*  
quantumuis grandacuum, sartum tamen sospitemque ad hunc  
usque diem praefitit! Hinc quippe solus, post tot e vita dis-  
cessos consules, *Tuos* olim collegas, in summum splendidissi-  
mæ familiæ solatium, et uniuersæ ciuitatis maximum commo-  
dum, superstitem feliciter capis auram. Namque quod ad  
rem *Tuam* attinet familiarem, tanta illi præces prudentia,  
fidelitate, atque diligentia, ut quiuis paterfamilias herusque  
praestantissimum in *Te*, quod imitetur, exemplum conspiciat.  
Denique tot tantaque extant *Tua* in me beneficia, ut ingra-  
tissimus viderer, si a publica deditissimæ mentis significatione  
diutius abstinerem. At o quam vellem facundissimo praedi-  
tus essem ore, *Tua* dignis laudibus extollendi innumera mu-  
nifi-

\* \* \*

nificantia et benignitatis documenta, *Tuamque* amplissimi  
nominis gloriam iustis encomiis perorandi! Cum vero leui-  
ter tantum cinctus sim fonte Caballino, et *Tua* praeterea pro-  
hibeat singularis modestia, ne in promeritas excurrant lauda-  
tiones: venerabundus tantum celebro manifesta diuinæ pro-  
uidentia in *Te* conseruato vestigia. Quidni ergo hodiernum  
festum diem jubila inter et pia vota transfigerem, cum, sicut  
senex in domo bonum signum est, et umbra senis plus valet  
quam gladius adolescentis, sic *Te* illustre signum et Senatorii  
ordinis ornamentum conspicere licet. Inter rara enim ex-  
empla es rarissimum, et felicitatem, qua gaudes, cum paucis  
habes communem. Quemadmodum enim magno ingenii  
acumine et exasciata iudicij vi, sic quoq[ue] multarum rerum  
penitiore notitia, et quæ usui praeclaro est viro in auctoritate  
constituto, consummata experientia a Deo O. M. instructus  
es. Benignissimum Numen quoque *Tibi*, quod iterum paucis  
accidit, largitum est prosperam atque vegetam feneclutem,  
quam *Tibi* hinc impense gratulamur, et a diuina munificentia  
porro exoramus. Sicut enim *Tu*, *vir venerabilis*, fama ho-  
norisque gloriam meritis ac virtutibus consecutus es, sic di-  
uinæ ipsem et benignitati merito tribuis, quod iisdem tam lon-  
go temporis frui spatio datum sit, et hodierno in primis die  
gratissima mente recolere. Adplando *Tuae* solennitati, pio-  
que affectui, et in debitam fidei tesseram ardentissimas pro-  
incolumitate *Tua* aeternaque felicitate precationes spondeo,  
quippe quibus summa impetrari posse bona Seruator ipse au-  
tor est atque suasor. Faxit itaque rerum omnium arbiter,  
clementissimus Deus, ut per plures adhuc annos commoda  
secundaque fruaris valetudine, et, qua soles animi contentione,  
salutem publicam feliciter porro promouere queas. Largia-

\* \* \*

tur necessariam animi corporisque alacritatem, et resarciat vires illibatas, ut et *Tuorum* et uniuersae ciuitatis prosperam fortunam sartam testamque praestare valeas, et, quod *Tibi* in proverbio est, semper idem sis. Conseruet humanissimam egregiisque ornatam virtutibus *Coniugem*, generis sui delicium et insigne decus, et suppeditet illi sanitatem robustam, in dulce leuamen *Tuum* et ingrauescentis aetatis perenne solatum. Larga quoque manu omni felicitatis genere cumulet amplissimae *Tuae* gentis fulcrum, *honoratissimum* *Filium*, Electoralem tributorum Inspectorem spectatissimum, ut honorifico, cui communis cum plausu praest muneri, porro ex voto fungi, et stemmatis gloriam celeberrimi ad seros usque nepotes transferre liceat. Denique voueo precorque quam enixissime, ut quod ex nutu supremi rerum nostrarum arbitri superest spatii vita, pacatum fortunatumque sit, donec vita et felicitatis terrena satur latabundus beatusque compreas coram throno illo coelesti, qui circumdatuſ legitur in S. Apocalypſi viginti quatuor senioribus, ubi senectus cum aeternitate et prosperitas terrestris cum coelesti commutatur felicitate.

**Vir Praenobilissime, Amplissime, Consultissime,  
Doctissime, Patrone etatem deuenerande,**

**Amplissimi Tui nominis**

**Cultor perpetuus et apud Deum deprecator**

**Io. Christianus Koerner.**

De

\* \* \*

**De Consule Glorioso**

**Q**uanta inter populos dignitatis eminent gloria reges ac principes, tanta fere in ciuitatibus olim coruscasse auctoritate Consules, fidem faciunt monumenta litterarum antiquissima, cum sacra tum profana. Testimonia ex iisdem in medium producere possem paene multa, et argumentum suse pertractare; ad antiquitatem vero sacram tantum, itemque patriam in praesentiarum animum aduertimus. Et primo quidem loco notatu dignum legitur pensum

I Reg. XXII. 26:

נָאכֶר מֶלֶךְ וּשְׁנִיאֵל קַח מִיכְיָהוּ אֶל־אָמֵן שְׁר־הַעֲיר  
Antiqua versio latina reddidit: et ait rex Israel, tollite Michaeum, et maneat apud Amon, principem ciuitatis. Nostra vero Vernacula interpretatur: Der Koenig Israel sprach: Nimm Micha, und lass ihn bleiben bey Amon, dem Burgermeister. Vetusissima vero versio Germanica, si non prima, quæ in bibliotheca nostra asseruatur, ita habet: Und der Koenig Israel sprach. Nembi Micheas und er beleib bei Amon den Fuersten der Stat. Porro Italica vetus di Diodati: Et il Re d' Israel disse a uno, Prendi Mica, e menalo ad Amon, capitano della citta. Denique Anglicana: And the King of Israel said, Take Micaiah, and carry him back unto Amon the gouernour of the city. E quibus versionibus pariter atque ex ipsis sacris fontibus haud obscure intelligitur, tantam suisse Amonis gloriam, ut supremum haberet in urbe potestatem. Allegari praeterea meretur locus parallelus 2 Chron. XVIII, 25: quem vernacula nostra sic transluit: Nehmet Mi-cha,

3 M



\* \* \*

cha, und lasset ihn bleiben bey Amon dem *Stadtvoeg*.  
Hunc quippe consulis titulum hodieque in vicina urbe Isle-  
bia florere non sine voluptate intelligimus, cui forte plures  
vel in Saxonia vel in aliis Germania*ꝝ* prouinciis adnumeran-  
d*ꝝ* sunt ciuitates.

S. II.

Incudit Amonis consulatus in tempora Iosaphati, regis  
Iude*ꝝ* praestantissimi, magna*ꝝ* laude conspicui, quippe qui  
non tantum idolorum excella*ꝝ* strenue fortiterque sustulit, et  
nefarios, post Ass*ꝝ* regis animaduerstonem, sacrorumque  
emendationem, superstites idolorum cultores vel capite ple-  
cti, vel e prouinciis ciici iussit, verum etiam sacris ipse pu-  
blicis publicaque saluti egregie consuluit. Pro ea enim  
qua erat praeditus et pietate et sapientia, statuit persuaſum-  
que habuit, sine legis diuin*ꝝ* diligenti inculcatione neque  
religioni neque regioni securitatique publicae fatis firma pon*ꝝ*  
fundamenta posse. Anno igitur regni tertio per viros pro-  
bos, et doctos, tam e sacro quam politico ordine, populum  
uniuersum rite institui legesque diuin*ꝝ* et humanas doceri  
curauit, quid quod anno imperii vicesimo octauo, ab infeli-  
ci contra Syros expeditione redux*ꝝ*, idem negotium, a Iehu  
propheta monitus, denuo suscep*ꝝ* ritoque peragrato reg-  
no, propullulanti iterum idololatri*ꝝ* fortiter fese opposuerit,  
populumque ad verum Dei cultum feliciter reduxerit, subsel-  
lia judicum visitauerit, virosque pios ac prudentes muneri-  
bus publicis graui cum adhortatione praefecerit. Quo facto  
Deus multiplici Iosaphatum felicitate cumulauit, utpote qui  
non tantum aduersus Israeltas potestare ac armis valuit, sed  
et apud reliquias nationes vicinas summati nominis celebri-  
tem consecutus est, munera atque tributa vitro exhibentes.

Mag.

\* \* \*

Magnis præterea diuiniis ingentique subditorum copia mactabatur, quæ, licet angusti essent regni eius fines, tamen usque ad undecies centena et sexaginta bellatorum millia excreuit.  
2. Chron. XVII. XVIII. XIX.

§. III.

Quemadmodum vero optimus quisque suos interdum patitur manes; sic Iosaphatus in eo grauiter hallucinauit, quod cum impio rege Israelis, Achabo, amicitiam sedusque contraheret. Hinc parum absuit, quin in prælio contra Syros, in quod cum Achabo, inconsulta proflus ratione, et serio dissuadente propheta Micha, descendederat, funestam cruentamque mortem periret; qualem impietatis iustum dedit poenam Achabus, sceleratissimus atque profligatissimus Israëlitarum rex, quippe qui omnem plane religionem exuerat, et in sacrorum cultores puriorum nunquam non crudelissime traxierat. Experiri hinc eius crudelitatem necessum quoque habuit diuinus vates, Michaës, in vincula publica iniquissime detrusus, nulla alia de caufa, quam quod exitiosam cladem prædixerat. Ideo enim iussit Achab: *Nimm Micha und lass ihn bleiben bey Amon dem Burgermeister.*

§. IV.

Ad Amonem igitur quod attinet, cuius iurisdictioni tradebatur Micha, de illius quidem vitæ rationibus reliquis nihil memoriae prodiderunt sacra literæ annalesque Hebraeæ: dignitatem tamen muneric et insignem gloriam neruole satis describunt. Quid enim dici potest illustrius, quid magnificientius, quid sublimius, *principe ciuitatis?* Ita vero appellant Amonem ipsi sacri fontes. Vrbem Samariam intelligi, in qua falsces tenuit Amon, non est quod dubitemus, propter eaqueod uniuersi regni Israelitici caput erat, et Iosaphatus,

B

rex

\* \* \*

rex Iudæ, in eadem procul dubio Achabum solenniter conuenerat. Eo illustrior autem atque præstantior consulatus Amonis censendus est, quem in ipsa metropoli, regioque in conspectu, tenuit. Cuius quippe rei fidem facere omnino videntur ipsi fontes sacri. Quodsi enim natuam inuestigamus vocis Hebrea נָשׁ significationem; generatim denotare intelligimus illum, qui in eminenti et singulari dignitate constitutus est, et in alios principatum tenet. Speciatim vero hoc titulo insigniuntur duces copiarum, et exercituum præfecti, qualis fuit Abner, celebris ille inter Iudæos imperator, æxate Saulis, regis famigeratissimi. Deinde apud Ebraeos בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל quoque appellare consuevit præfectos ciuitatum, prouinciarum, tribuum et familiarum. Amonem vero a consulatus munere splendidum principis ciuitatis nomen accepisse, clara textus littera docet. Eandem nimirum habebat summam potestatem, quam Sebal, de quo Iudic. IX. 30: Sebul, princeps ciuitatis, auditis sermonibus Galaad, iratus est. Ceterum plures quidem in unaquaque Iudaica urbe, officiis publicis præpositi viri, similiter principes appellari solebant, nempe chiliarchi, hecatontarchi, pentecontarchi et decadarchi; qui vero supremam tenuit in urbe potestatem, princeps ciuitatis *naturæ* εἰσοχὴν vocatus est.

§. V.

Diuina omnino origine gaudebant Consules Iudaici; siquidem Moës, non suadente modo Iethro, sed iussu ipsius Dei, principes tribuum ac ciuitatum cōstituit, Exod. XVIII. Deut. I. 18. Act. XIII. 20; qui et publicis consulenter rationibus, et iudiciis praecessent. a) Hinc posteriores speciatim iudiciorum præsides nominabantur etiam litium introductores, seu causarum iudicandarum arbitrii. Coram ciusmodi

iu-

\* \* \*

iudicibus, ipsius glorioſiſſimi noſtri Seruatoris olim cauſa  
venilata eſt, quemadmodum legitur Luc. XX. 20: et miſe-  
runt iuſtos ſimularent, ut caperent cum  
in ſermone, et traderent principatui, et potefatia prætoris.  
Hic manifeſte diſtinguitur magiſtratus Iudaicus a Procuratore  
Romano, Pilato. Per principatum enim princeps ciuitatis  
Iudaicus, ſeu Consul indigitatur, cum ſuo ſenatu: per po-  
tatem vero prætoris, magiſtratus Romanus in Iudea vigens.  
E quibus conficitur, principem ciuitatis apud Iudeos fuiffe  
Consulem, ſeu ſenatum praefidem, qui potestate decernendi  
et de cauſis forenibus ſententiam ferendi polluit. Licet  
enim complures eſſent in urbibus Iudeorum iudices, prin-  
cipum titulo ornati, nimirum chiliarchi, hecatontarchi, cet, in-  
ter eos tamen omnes ac ſingulos eminebat princeps ciuitatis,  
ſue Consul, qualis fuīt Amon, Samariæ princeps. Quemad-  
modum vero non niſi probi, sapientes, multoque rerum uſu  
negotis publicis gerundis affueti viri, ad publica admoueban-  
tur officia, Deut. I. 13: ſic praefertim in principe ciuitatis ſue  
Consule, cum vera pietas, tum ſumma doctrina et experien-  
tia requirebatur, ut eo promptius ac felicius in cauſis obuiis  
et grauioribus ius dicere valeret. b)

a) Summa mentis demiſſione hic allegamus Magni-  
fici ſummeque Venerabilis D. Ioann. Christiani Stemlerii  
dissertationem, de prouida ſummi Numinis cura in  
conferuando flore ampliſſimi Collegii Senatorii San-  
gerufani conſpicua, ad I. Petr. II. 13. Lipsiae 1728.

Praeterea conſerri poſſunt D. Gustav. Ge. Zeltner de  
adolescentia reip. Iſr. ſue de Iudicum temporibus,  
hiſque proximis, Norimb. 1698; Dan. Willh. Moller  
de XII. iudicibus Israelitarum, Altdorf 1710.

b) Videatur Sigonius de republica Iudeorum Cap.  
VII. p. m. 524. ſeqq. ed. Helmſt. 1686.      §. VI.



\* \* \*

S. VI.

In eo itaque versatur maxima consulis gloria, ut pietatem veramque religionem sincero semper animo colat, ecclesiam Dei protegat, et quantis fieri potest, praefidiis et emolumentis subleuet, et ad ecclesiam coelestem assiduo ipse cursu tendat: ut iustitiam strenue administret, et securitatem publicae conseruandæ omnem diligentiam impendat: ut in ciues paterno afficiatur animo, atque illorum felicitatem omni studio omniisque opera promoueat: ut in causis dubiis lenitatem praestare seueritati sedulo cogitet: ut denique uniuersitatem ciuitati exemplum iustitiae, aequitatis, et honestatis nunquam non praebeat. Quemadmodum enim magistratus honore ac dignitate reliquos antecellit, et potestate mandandi, vetandi, puniendi, exigendi, defendendi atque munerandi pollet; sic Consulem praelertim omnem mouere decet lapidem, ut ciibus omnibus atque singulis praeciarum pietatis, iustitiae, prudenter, ac humanitatis exemplum praebeat. Gloria enim, ut verissime iudicat Cicero, est illustris ac peruagata multorum et magnorum vel in suos ciues, vel in patriam, vel in omne genus humanum, fama meritorum. Quam sane nec rectius, nec felicius impetrari a Consule posse existimandum, nisi pietate, iustitia, sapientia, vigilantia, grauitate, paterna denique in ciues propensione. Etenim cum magnorum merita virorum non e dictis tantum scriptisque metienda sint, sed praelertim e praecclare factis; tanto maiorem in consules redundare nominis famaque gloriam euidentur, si velut lumina facesque virtutum uniuersis praeluceant ciuibus. a)

a) Videantur van Eck, de religione et pietate veterum Iureconsulorum, Halæ recus. 1724; lo. Mich. Heineccius, de Ictis Christianis priorum sæculorum eorum-

\* \* \*

eorumque in ecclesiam meritis, Hale 1713; Henr.  
Engelhard Schwarz, de pietate et meritis Iectorum in  
ecclesiam, Lips. 1739; Christian Thomasius, de vera  
pietate iuridica Halæ 1701; Val Ernst Loescher, de  
pædagogia magistratus religiosa, Viteb. 1708.

§. VII.

Progedimur ad locum insignem N. T. nimirum Act.

XIII. 6. seqq. Διελθόντες δέ τὴν Νῆσον ἀχει Πάφε, ἔνεγκ των  
μαργον Φευδοπροφήτην, ὃ ἔνομα Βαριησσός. Οὐ δὲ σὺν τῷ ἀνθυπάτῳ  
Σιεργίῳ Πάνιν ἀνδρὶ συνετῶ. Οὗτος πρεσβυτερος Βαριάβαν καὶ  
Σάνιλον, ἐπεζήτησεν ἀκέσσαι τὸν λόγον τῇ Θεῷ. et versu 12: Τότε  
δών ὁ ἀνθυπάτος τὸ γεγονός, ἐπίτιευσεν ἐκπληξούμενος ἐπὶ τῇ διδαχῇ  
τῇ μητρί. Peragranites autem insulam usque ad Paphum,  
inuenierunt quandam magum Pseudoprophetam Iudacum, cui  
nomen Bar-Iesu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo, vi-  
ro prudente. Hic adiuvans Barnabam et Saulum expetebat  
audire verbum Dei. Et v. 12: tunc videns proconsul factum,  
credidit, perculsus doctrina Domini. Quem locum antiqua  
versio Germanica supra allegata, et in qua notatu dignum,  
quod Acta Ap. post epistolam ad Ebraeos collocata sint, sic  
interpretatur: Vnd da sie waren gegangen durch alle die In-  
seln untz zu Paphum sy funden einen man Zauberer einen Iu-  
den ein Weissagen des Nam was Barichu der da was mit  
dem Ratgeben Sergio Paulo dem witzigen mann. Der rufft  
barnabam und Paul er begert ze hoern das Wort Gotz; et v.  
12: Da das het geschen der Ratgeb das da was gethan er  
gelaubt und wundert sich über die Ler des Herrn. Nostra  
autem translatio sic sonat: Vnd da sie die Inseln durch zogen  
bis zu der Stad Paphos, funden sie einen Zauberer und fal-  
schen Propheten cinen Iuden, der hieß Bar Iehu, der war

\* \* \*

bey Sergio Paulo, dem *Landvogt*, einen verständigen Mann, derselbe rief zu sich Barnabam und Saulum und begehrte das Wort Gottes zu hören. Et v. 12: Als der *Landvogt* das Geschichte sahe, glaubte er, und verwunderte sich der Lehre des Herrn. Liceat rursus adiicere versiones Italicam et Anglicanam. Prior sic habet: Poi traversata l' Isola fin' in Pafo, trovarono quiui un certo mago falso profeta Iudeo, che ha-veva nome Bar-Iesu. Il quale era col *Proconsolo* Sergio Paulo, huomo prudente (et in nota marginali: o, Propriétore.) Eſſo chiamati a ſe Barnaba e Saulo, richieſe d' udir la parola di Dio. Et v. 12: All' hora il *Proconsolo*, veduto ciò che era ſta to fatto, credette, eſſendo ſbigottito della doſtrina del Signore. Anglicana denique verba textus Graeca ita expreſſit: And when they had gone through the Isle unto Paphos, they found a certain Sorcerer, a false Prophet, a Jew, whose name was Bar Iesu. Which was with the *deputy of the country*, Sergius Paulus, a prudent man, who called for Barnabas and Saul, and desired to hear the word of God. Et v. 12. Then the deputy when he ſaw what was done, believed, being aſtoniſhed at the doctrine of the Lord.

Inſignis hic obſeruatur verſionum diſcrepanția, digna, quæ ulterius diſcutiatur, et ex iſis ſacris fontibus diiudicetur. Graeca vox ἀνθυπάτος, ut conſtat inter omnes, denotat pro- consulem. Iam vero tale nomen ac officium inter Iudeos haud obtinuit: hinc vel Graecus vel Romanus sit honoris mu- nerisque titulus neceſſe eſt. At enim non Graecus eſt, et iamſi vox Graeca eſt. Gracci enim iudiciorum ſuorum praefi- des appellarunt ἀρχοντας, ἀνιστρας, προεδρους cet: quare Roma- nam eſſe officii publici denominationem facile colligitur. Videlicet, Iudea, tunc temporis, Romana erat prouincia,

ar-

\* \* \*

armis acquisita, et ad instituta legesque Romanorum regebatur, vel per propraetores, vel per proconsules. Antiqua proinde versio Germanica, pariter ac nostra vernacula in transferendo vocabulo *ādūtātē* ambiguitate omnino laborant, reliquae vero versiones, Italica nimirum et Anglicana nativæ vocis *ādūtātē* proprius accedunt. Nam quod ad Anglicanam spectat, quæ per *deputy* reddidit, suo idiomate denotat vicarium, legatum, et proregem, quales appellationes Romanorum propraetores et proconsules in prouinciis utique induisse, historiæ Romanae conditores assatim euincunt.

S. VIII.

Textus argumentum si perpendimus, in eo erant S. Paulus atque Barnabas, ut euangelium Iesu Christi inter gentes promulgarent. Vbiique autem fere locorum multa ac grauia repererunt obstacula, partim a philosophis, partim a rude et infrenata plebe, partim a circumcellionibus et magis conciliata. Et in urbe quidem Paphos reluctabatur iis Elymas, homuncio, et infamis nequitiarum et praefigiarum artifex, quippe qui miram iniierat, calliditate sua, Sergii proconsulis gratiam. Posteaquam vero sancti Apostoli docendi euangelii gratia appulerant, accidit, ut proconsul quoque illius desiderio teneretur. Videlicet, ecclesia Antiochena doctoribus abundante; Paulus atque Barnabas, diuino acti spiritu, in Seleuciam profecti sunt, porro in Cyprum, et primum Salamine, deinde Paphos euangelium edisseruere. Quo in posteriore oppido sanctis illorum conatibus hostiliter aduersatus est Bar-Iehu, a technis, et praeuaricationibus, Elymas cognominatus. Hic profligatae malitiae arbiter, omnes intendit impietatis suæ neruos, Sergium proconsulem ut a fide in Christum auerteret. Incassum tamen iuit exsecrabilis

\* \* \*

bile artificium, Sergio euangelium Iesu Christi alacriter amplectente, atque pie venerante, Elyma vero oculorum acie orbato. Quod inexpectatum, et sempiterna memoria dignum, facinus praeter omnem dubitationem allexit plures, fidei Christianæ nomina dandi. Pertinebat quippe miraculum, in præstigiatore Bar-Iehu ab Apostolis perpetratum, ad primordia munera Apostolici, cuius porro rite obeundi nouum argumentum praebuit. Incredibilem enim sancto praefertim Paulo et laetitiam et parrhesiam attulisse, quod tam illustrem, tantaque in dignitate constitutum virum, Sergium, Christo lucratus sit, ne minimum quidem est dubium. Hac etenim ratione, desideratissima Apostolo pandebatur via, per omnem insulam euangelium porro intrepide annuntiandi. Nam, que Dei erat sapientissima atque sanctissima rerum moderatio, Elymæ mors promerita haud inficta fuit, sed oculorum modo caecitas, quam tamen internecione peiorum censet Sopholes. a) Ita quippe Deus O. M. manifestum et insigne potentiae pariter atque clementiae suæ documentum inter gentiles extare iussit nationes, quantoque flagret desiderio, caecitatem mentis iisdem abstergendi. Nam sicut obtusi sensus, et hebetudo oculorum vehementer officiunt vita humanæ: sic longe funestius detrimentum animæ adfert doctrinæ contemnus et ignorantia euangelicæ. A qua graui pernicie immunem praestitit Sergium diuus Paulus, mirifico Dei adiumento subleuatus.

a) In Oedipo v. 1382.

§. IX.

Dissentient inter se eruditi circa amplissimi conditionem munera Sergii, aliis propraeturam denominantibus, aliis

\* \* \*

aliis proconsulatum. a) Priors prouocant ad antiqua historiæ Romanæ monumenta, e quibus liqueat, Cyprum suisse prouinciam Praetoriam, non consularem. Postiores inhaerent ipsi textus sacri vocabulo ἀνθυπάτε, et Sergium proconsulem pronuntiant. Posteaquam enim e republica Romana reges exulare iussi erant, non nisi consules sumnum in imperio magistratum tenuere. Tanta vero obruebantur plerumque negotiorum publicorum copia atque mole, ut rite obeundis singulis munis, in quavis temporum facie, haud sufficerent. Eligeabantur hinc praetores, qui in ciues Romanos, et praesertim in urbe, ius dicerent. Expeditionibus vero bellicis insigniter aucto imperio Romano, expugnatisque prouinciis, nouus creatus est praetor, et peregrinus appellatus, qui in exteris regionibus, per arma acquisitis, iuri dicundo operam nauaret. Vocabatur etiam propraetor, quo facilius discerni posset a praetore urbano, Roma degente. Propraetorum itaque numerus tantus fuit, quantum numerus prouinciarum, et cum hae non unius et eiusdem essent conditio-  
nis, sed aliae maiores, pinguiores et opulentiores, aliae minores atque viliores; hinc, ad vitandam animorum exacerbationem, rixasque ignominiosas arcendas, per sortem distribui, consueuerant propraeturæ. b) In quacunque vero prouincia, causæ tantum non omnes Romano peractæ sunt more, foraque in singulis aperta urbibus, conuentusque iuridici, quorum saepe plures in una exitere prouincia, vel etiam urbe. Praefides autem omnium in prouinciis iudiciorum fuere, cum propraetores, tum proconsules, adscitis ut plurimum cauſſidicis Romanis, qualem suissc olim Trebatium, apud Caesarem in Gallia, Cicero auctor est in literis ad ipsum datis. c) Prouinciæ igitur, ut antea commemorauimus, aliae dictæ sunt præ-

(d)

C

to-

\* \* \*

toriæ, alia consulares seu proconsulares, ad quas tandem accessere praesidales sub Caelaribus, in quas vel a Caesare, vel a senatu, prout visum fuit, mittebantur Praesides, et negotiorum publicorum gubernatores. Nolumus iam excurrere in diuisione prouiniciarum, pro diuersitate actatum porro institutam. Alia etenim habita fuit ratio prouiniciarum, republika libera; alia, sub Augusto, Claudio et Traiano: alia, sub Diocletiano, Constantino et sequentibus imperatoribus, quorum fere quilibet distributionem provinciarum immutauit. Sic v. c. Hispania, post bella Punica, diuisa fuit in citeriorem et ulteriorem; Augusti vero actate in Tarraconensem, Baeticam, et Lusitaniam. Sic Gallia distincta olim fuit in transalpinam et cisalpinam: Iulius autem Caesar transalpinam diuisit in Celticam, Aquitanicam, et Belgicam: Augustus contra in quatuor Galliarum partes, nimis Narbonensem, Lugdunensem, Aquitanicam et Belgicam. Tandem Diocletiani et Constantini temporibus, multa nouæ diuisiones ortæ sunt, adeo ut sola Gallia in quatuordecim prouinicias dispartiretur. Ad Iudeam quod attinet proprie dictam, et confinem regionem Samaritanam, pariter atque Galilaeam et Peræam, fuerunt quidem Romanæ prouiniae sub iugum missæ; diuersa tamen a prouiniciis reliquis rectæ sunt ratione. Iudaea enim et Samaria Archelao parere necessum habuit, Galilaea vero et Peræa Tetrarchis subiecta fuit. Qua etiam de causa harum prouiniciarum praesides Romani, Pilatus, Festus, et Felix nec proconsules vocitantur, nec propraetores, sed procuratores, teste Tacito, d)

a) De qua controuersia prolixas disquisitiones apud Ezech. Spanheimium in orbe Romano diss. II. C. XX.  
et apud Anton. Pagi in diss. hypothica P. I. C. VIII. vid.  
b)

\* \* \*

b) Vide Liuium, L. XXXII, C. XXVIII, seqq.

c) Ep. LVII.

d) In annalibus L. XII. C. LIV. et L. XV. C. XLIV.

S. X.

At enim vero ad Sergium reuertendum est, utpote qui laudabili vita ratione, et ingenti in Apostolos fauore, insignem famam nominisque gloriam sibi conciliauit. Quandoquidem ergo in ipsis sacri textus fontibus expresse Proconsul appellatur, Cyprusque, geographia antiqua teste, a) non ad terras spectauit Iudaicas, sed ampla est maris mediterranei insula, quindecim urbibus ornata; par est, ut in proconsulatum Sergii penitus inuestigemus. Fuit quippe non e Romana tantum gente illustri prognatus, sed a Senatu quoque Romano proconsulatus muneri admotus. Quanta ergo Consules Romani dignitatis honorumque gloria fulgebant, tanta in prouinciis utebantur proconsules. Iam vero constat inter omnes, regia munitos fuisse dignitate consules Romanos, regiaque pompa: hinc facile intelligitur, proconsulum auctoritatem eodem numero habendam esse. Quanquam enim prioribus rei publica temporibus, limitibus circumscripta fuit illorum potestas, postea tamen, ampliatis rei publica finibus, summam quoque imperandi libertatem nacti sunt. Simul atque vero nouus in prouinciam missus est proconsul, prior intra mensis spatium loco cedere necessum habuit; quo facto, Romæ redux, ingenti solennitate urbem intravit. b) Ex quo efficitur, Sergium Paulum, ab Apostolis ad amplectendum euangelium perductum, inter illustres omnino pertinere personas, et cum sibi, tum doctrinæ euangelicæ insignem, sua ad Christianum conuersione, gloriam peperisse.

a) Videatur Plinius in historia naturali L. V. C. XXXI;

b) Conf. Cicero Or. XXXVI, de proconsularibus,

C 2

Gol-

\* \* \*

Golzius in fastis consularibus, p. 216; Petrus Relandus in fastis consularibus; Iustus Lipsius de magistris veteris populi Romani. D. Io. Engelbrecht de consulibus Helmst. 1699. D. Iäger de presidibus provinciarum apud Romanos. Iena 1698. Mich. Conr. Curtius de senatu Romano, post tempora rei publicæ liberæ. Halæ 1768.

§. XI.

Dicendum itaque nunc est de Sergii virtutibus, quorum quidem duas sacræ laudant paginæ, sapientiam et fidem. Faceant ergo, qui hebetis et obtusi ingenii virum fuisse contendunt, sacro textu perspicue docente, ἀνδρα συνετόν perhibendum esse, hoc est, virum insigni iudicandi vi, multaque intelligentia praeditum. Antiqua versio Germanica eleganter reddidit: den wizigen Mann. Nam vox Graeca συνετός, ex perpetuo Scr. S. usu, denotat virum intelligentem, sagacem, circumspectum, variaeque habitu scientiæ instructum, mentisque perspicacia pollentem, ut possit de rebus abstrusis et difficilioribus rite sentire. Mat. XI. 25. Luc. X. 21. 1 Cor. I. 19. Nullum igitur est dubium, quin Sergius disciplinas philosophicas solide fuerit edocitus, et in omni scientiarum genere praeclare versatus, praeferitum cum Romæ non tantum litterarum studia maxime floruerint, sed lege etiam cautum fuerit, ne publicis muneribus homines rudes et indocti præficerentur. Qui ergo possemus opinari, Sergium proconsulem, tanto in officio publico constitutum virum, exquisita doctrina rerumque gerendarum grauissimarum peritia caruisse. Quantancunque vero fama gloriam nominisque celebritatem, et ingenii acumine, et literarum cognitione, et negotiorum expediendorum arduorum sagacitate sibi comparauerit; longe tamen insignorem laudis gloriam attulit mentis in-

\* \* \*

integritas, et in verbum Dei et Iesu Christi propensio. Licit enim Elyma familiariter usus fuisset, atque eius praestigis aliquamdiu fascinatus, Sergius; locum tamen lubens tandem dedit luci euangelii, et accessitis apostolis, publice fidem professus est. In exiguum iraque nobilitate generis splendentium virorum numerum referendus, qui ad regnum Dei vocati, electique sunt. Accensendum est Cornelio, viro honesto et pio, Caesareæ stationem et praefecturam cohortis Italicae tenenti, quale munus non nisi nobili, virtute et fama conspicuo tradi solebat, auctore Vegetio. a) Mererentur ambo viri celeberrimi, quibus panegyris scriberetur: enim uero, cum testimonium Scripturæ, illorum probitati ac meritis exhibatum, omnem prorsus humanam antecellat laudem, nihil addi posse maius et honoriscentius censemendum. Gloriosos enim extitisse viros, gloriosemque degisse vitam extra omnem plane positum est controversiam. Nequaquam enim ea animi leuitate, mentisque improbitate laborarunt Sergius, et Cornelius, qua conspureauit se Gallion, proconsul Achaia Act. XIII. 12. seqq. Hic enim nec sua saluti, nec fama consulere annis est, neque pietatis, neque iustitiae defensor ac propagnator extitit, sed iniustissima ratione S. apostolum, a Iudeis temere accusatum, inauditum abegit, et procul amouit, nec de eo sententiam ferre sustinuit. Reperiuntur equidem, qui in laudis gloriam Gallionis interpretantur, quod in causam Apostoli inquirere detrectauerit. At enim vero fuisse omnino a iustitia quam alienissimum, ex denegata Apostolo causæ sua peroratione, in propositulo est. Quanquam enim innocentiam S. Pauli agnoscere visus est; iniuste tamen egit, quod eandem nec publice declarauerit, nec ab aduersariorum turpissimis calumniis vindicauerit. Abi-

C 3

gebat

\* \* \*

gebat quidem illos a tribunali, sed eo consilio, ut illudaret tantum Iudeis, et Apostolum ulteriori ludibrio exponeret. b) Quod si enim veritatibus diuinis et humanis suum statuisset pretium, et ad virtutis gloriam contendisset; fane cogitasset, iudicis esse, sancta atque impensa in Deum reverentia ius dicere. Qua lege neglecta, nec dignus quidem habitus est, qui ad fidem Christianam adduceretur, qualis maestatus tandem felicitate fuit Sergius, Proconsul Cyprensis. In hoc utique viro et magna animi religio, et insignis rerum gerendarum prudentia ac promptitudo merito celebratur, et parum abest, quin ad imitationem proponendus sit tantum non omnibus ciuitatum bene ordinatarum consulibus. c) Quid enim in consule dignius, quid honestius, quid praecarius, quid denique gloriosius existimandum est pietate, iustitia, sapientia, vigilantia, humanitate, atque paterno in ciues amore. d)

a) De re militari L. II. C. XIV Centurio, inquit, eligendus est, qui sit magnis viribus, et procera statura, qui hastas et missilia perite iaculae et fortiter, qui dimicare gladio et scutum rotare doctissime nouerit, qui omnem artem didicerit armaturae, vigilans, sobrius, agilis cet:

b) Videatur Dannhaueri Gallionismus ex Act. XVIII. 12. Argentor. 1664.

c) Non ergo adsentimus Aug. Heumanno, in explanatione N. T ad h. l. Sergium, perhibenti, fidem Christianam publice non professum esse, ne scilicet ab officio remoueretur. Trata quidem est hec Vertumnorum apologia satis inhonesta, a viris autem doctis et religiosis multoties refutata. Sergio Paulo, inquit Phil. Camerarius, in horis subcisiuis Cent. III. p. m. 4. Sergio Pau-

\* \* \*

Paulo proconsuli Cypri, nec non et Menchemo, familiari Herodis Tetrachæ absque noxa et periculo fuit, cum a Paulo Apostolo ad fidem Christianam tempore Claudii imperatoris conuerterentur. Eodem modo, cum circa id tempus Cornelius Centurio, iussu angeli, a Petro Apostolo ad Christianam fidem cum sua domo, amicis et familiaribus, conuerteretur, acceptis donis et gratiis Sp. S. visibilibus, baptizaretur, idque in publicum emanaret, non reperitur, quod illis Romanis gentilibus a fide sua descifcentibus, id damno vel fraudi fuerit: sicut hæc doctrina in Actis Ap. a Luca Evangelista late describitur.

d) Argumentum hoc fusius pertractarunt Stolze in idea religiosi politici, Viteb. 1690; Nic. Geuder in sacerdotio iusticie, Altdorf, 1711; Io. Henr. Ziegler de Iureconsultis bonis Christianis, Erfordia 1711; D. Io. Franc. Buddeus in concordia religionis Christianæ statutisque ciuilis, Halæ 1701; Pierre Roques, dans le traité des Tribunaux de Iudicature, ou l'on examine ce que la religion exige des Iuges, des Plaideurs, des Auocats, et des Temoins, 1742.

#### §. XII.

Restat, ut ex annalibus Sangerhusanis recenseamus Consules, pietatis et meritorum gloria celebres. Prolixa vero oratione illorum meritas laudes prosequi, vetat et angustia temporis, et euitandæ studium adulacionis. Quare unius tantum atque alterius, de ciuitate nostra olim præclare meriti, Consulis honorificam mentionem faciemus. In Chronico nimirum Sangerhusano celebrantur et collaudantur Consules, *Valentinus Hefus, Joannes Treuner et Heinzius Horn*, quorum cura et præsidio turris ad templum S. Iacobi anno 1542. exstructa est, quae ad hodiernum usque diem vniuersitatem nostræ urbi

Zf 3010 04 X 318 7009

VD 18

\* \* \*

urbi insigne ornamentum præbèt. Comimendantur porro et sempiterna memoria digni pronuntiantur *Hermannus Kanegießer* et *Henricus Zilling*, Consules, quibus fasces tenentibus aqua ductus, in egregium nostrum beneficium, magnis sumtibus, multisque laboribus conditi sunt, annis 1585, et sequentibus. Denique *Ioannes Michelmann*, sinistra licet fortuna usus, præclaris tamen facinoribus magnam nominis famamque gloriam reliquit. Non enim iuris tantum, legumque fuit callentissimus, sed architecturæ quoque peritissimus, extructis diuersis ædificiis, conditaque cisterna magna in foro vetusto, hodie proh funditus euersa. Claruit quoque amore et liberalitate, tam erga templa, quam erga verbi diuini ministros, scholarumque doctores, vir cetera humanissimus pariter atque grauissimus, summa cum gloria viuens, annis 1628, et sequentibus. Ex recentioris aeu*ni* consulibus Sangerhusanis, famæ et meritorum gloria illustribus, commemorandus in primis foret, et eleganti oratione di laudandus *Christianus Leyserus*, Duci Saxo-Weisenfelsensi olim a consiliis, cuius prosapia, immortalium meritorum gloria celebris, multisque depradicanda nominibus, adhuc hodie floret: at cum, peculiari commentatione, memoriam *Leyserorum* perscribere, et ad posteritatem transferre consti tuerimus; ab eius digna laudis concelebratione iam abstinemus, et leuidensi commentationi

finem imponimus.



Q.K.12.137.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

COMMENTATIO  
DE  
CEGLORIOSO  
EX  
ATE S. ET PATRIA ERVTO

VIRO  
SIMO AMPLISSIMO CON-  
SIMO DOCTISSIMO  
OMINO  
IFRIDERICO  
AGNERO  
NGERHVSANO PRIMARIO  
GRAVISSIMO  
RELIQVA  
LEM DIEM LXXI.  
IV. IVN. A. O. R. CCCCCCLXVIII.  
ELICITER AGENTI  
DICATA  
AVCTORE  
HRISTIANO KOERNERO  
AD TEMPL. S. VLRICI  
NGERH. PASTORE  
ISLEBIAE  
ippi Hüllmanni, Typogr. Confift.

adam de Consulibus quibusdam clangerijani  
laude dignis.